

sed ei libertas omnis prosequenda appellationis erupta fuit. Huic igitur uni Carissimo Concilio, non vero alteri posteriori quatuor illa capita contra Prædestinationem Gotschalchum attribuenda & subiecta censimus, absque ulla verborum mutatione.

I. Quod una tantum sit prædestinatione Dei.

3. Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiſo posuit, quem in sanctitate justitia permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peceavit & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & justus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit aeternam. Ceteros autem quos justitia iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præcivit, sed non ut perirent prædestinavit. Propter autem illis quia justus est, prædestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratia, aut ad retributionem justitiae.

II. Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanatur.

4. Libertatem Arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adjutum gratia: & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia: liberum autem arbitrium habemus, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

III. Quod Deus omnes homines velit salvos fieri.

5. Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

IV. Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit.

6. Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus est homo, ut, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes Passio eius mysterio redimantur. Quod vero omnes Passio eius mysterio non redimuntur non respicit ad magnitudinem & pretium copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem: quia pocalum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra & divina virtute, habet quidem in fe ut omnibus profit; sed si non bibitur, non medetur.

7. Quinam porro fuerint Gotschalchi errores, colliguntur ex Rhabani epistola Synodali ad Hincmarum: *Nostum sit (inquit) dilectioni vestre, quod quidam gyrogaetus, nomine Gotschalchus, qui se afferit in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones & noxiem doctrinam de prædestinatione Dei introducens & populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatione Dei sicut in bono sit ita & in malo: & tales sunt in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigeri, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœna obnoxias in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eis audientes, & incorrigibilem eum repente, annuente atque jubente piissimo Rege nostro Ludovico, decrevimus eum cum perniciissima doctrina damnatum mittere ad vos; quatenus eum recludatis in vestra Parochia, unde primum inordinate recessit, & non satis eum amplius errorem docere, & seducere populum Christianum; qui jam multos, ut audiui, seductos habet, & minus devotos erga suam salutem, qui dicunt: Quid mihi priderit labore in servitu Dei? Quia si prædestinatione sum ad mortem, nunquam illam evadam: si male autem ego, & prædestinatione sum ad vitam, sine illa dubitatione ad eternam requiem vadam. Heo ergo paucis scribimus intimantes qualem ejus doctrinam reperimus: Vos etiam vobis estis de ore ejus, quod sentit, plenus audire, & quid inde agendum sit plenus decernere: Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, & pro nobis orantem in eternum conservare dignetur.*

Qui plura de Prædestinatione nosse volet, recurrit licet ad nostram de Prædestinatione dissertationem, quam superius Concilio Arelatensi tertio subjecimus, in Notitiae Ecclesiasticae saeculi V.

Qui plura de Prædestinatione nosse volet, recurrit licet ad nostram de Prædestinatione dissertationem, quam superius Concilio Arelatensi tertio subjecimus, in Notitiae Ecclesiasticae saeculi V.

DIVERSA CONCILIA

Circa Ebbonem Rhemensem, & factas ab ipso post sui depositionem ordinationes.

1. Ebo Rhemensis Archiepiscopus, ut rebellantium in patrem Ludovicum Pium hujus & Irmgardis filiorum trium gratiam iniret, sibi quidem utili ut rebatur, sed injuso proflus concilio, nihilque sibi danni suspicatus a Ludovico excluso ab Imperio & captivo, aut a Carolo ultimo & impubere filio, omni humana ope desituto, Concilium Episcoporum & Procerum Regni apud Compedium anno 833, menie Octobri præfederat, omnemque adhibuerat operam, ut Ludovicus declararet Imperio proflus indignus, & Monasterio conclusus reliquum vite in penitentia degeret. Sed comitius postmodum tanta indignitate populis probisque omnibus tantum facinus detestantibus, ipsique perduellibus pudore suffusus ob felicis admissum quod in Episcopos ipsos refundebant, libertati & Imperio restituitur Ludovicus. Convocatoque ad Theodosii Villam magno Episcoporum & Optimatum conventu, rescissum est Compendium decretum, ann. 833. Cumque Ebo argueretur a suis etiam consiliis ac participiis totius mali auctor & inventor, ipse ut minori fame sua damno, quod inevitabile prævidebat, dignitate exciderat, penitentis speciem præ se tulit, seque sponte coram Concilio, Episcopatu, suam confessus indignitatem, abdicavit. Diversum cepit consilium Agobardus Archiepiscopus Lugdensis unus inter precipios aduersus Ludovicum conjuratores, hic enim & Bernardus Viennensis acciti, & citati ad Theodosii Ville Concilium, comparare renuerunt, suisque Ecclesiæ facti sunt extorti. Theodulfus quoque Abbas Floriacensis gradu motus, & Andegavi carcere detenus fuit, ejusdem reus coniuratione, sed a Ludovico de carcere eductus, & ad insulas Aurelianensis Ecclesiæ proflactus fuit.

2. Post Ludovici pii obitum anno 840. Lotharius Imperator Ebonem sui causa depositum in præfina Rhemensis fedem reduci voluit, editio hanc in rem in Palatio Engilenehemiensi edito, cui viginti Episcopi subscripserunt. Quo tempore Carolus a Lothario pulsus ultra Sequanam profugerat. Quia usus opportunitus Ebbo Rhemos reddit, multisque fecit ordinationes, de quibus, an validæ essent, gravis postmodum agitata est controversia. Cum vero resumptus viribus Carolus in Belli gian adventaret, sibi metuens Ebbo reliqua sede, quam postlimio annum sere tenerat, ad Lotharium reueavit.

3. Postquam regnum suum Carolus armis stabilivit, anno demum 845, in Concilio Bellovacensi prospectum est Rhemensi Ecclesiæ, jam multis ab annis Pastore desistutæ, atque Antistitutum consensu illi novus præfectus est Archiepiscopus Hincmarus, olim Cenobii S. Dionysii prope Parisios Monachus, ac postea Monasterii Sancte Marie & Sancti Germani Abbas, Regi Carolo gratissimus, ingenio & eruditione clarissimus, qui jam a Clero & populo Rhemensi, ut Flodoardus ait, fuerat electus.

4. Anno porro 853, celebratum est Suectionibus Concilium, cui præsens Rex interfuit, unaque quatuor Archiepiscopi, Hincmarus Rhemensis, Venilo Senonensis, Paulus Rothomagensis, Amalricus Turonensis, cum aliis novem & viginti Episcopis, & aliquot Abbatibus. Can. i. proponente Hincmaro conclusum fuit, neque Ebonem potuisse legitime a paucis quibusdam & aliis Episcopis in præfina eveli fedem, ex qua illum legitimum & numerosum Concilium dejecterat, ipso etiam id postulante in sua coniuratione pœnam; & quas ausus est ordinationes post depositionem exercere, damnabiles pronunciat. Ebonis depositionem Sergius Pontifex Romanus confirmavit, eumque ad laicam communionem redixit, ut fidem facit Flodoardus hist. Rhemens. lib. 3. capit. ii. Nicolaus deinde Papa primus, recte ordinatos ab Ebone Clericos fuisse decernit, tum in sua ad Concilium Suectionense tertium ipsius iussu anno 866, convocatum epistola, tum in altera ad Hincmarum Rhemensem increpatoria; de confirmatione autem depositionis Ebonis, simulque damnationis ordinationum, quas Ebbo fecerat, respondet prædecessorem Sergium nihil egisse aut decrevisse, quam quod Synodus Nicaea constituerat, ut scilicet quos sive Synodus, sive unus aliquis Episcopus alii cui censura subjecerat, ab omnibus aliis Ecclesiæ & Episcopis a ministerio excluderent, salva tamen pleniore discussione atque examine vel majoris Synodi, vel altioris Sedis, ad quam posset appellatio devolvi. Sergium potro non suscepisse illius Synodi Suectionensis secun-

Concilium in causa Rhotadi, &c.

secunda examen aut revisionem, ideoque decreta illa Synodalia juxta Nicenum Canonem in suo vigore perdurasse.

SYNODI IN CAUSSA RHOTADI

Suectionensis Episcopi habitæ:

Aliaque in causa junioris Hincmari Laudunensis.

1. Hincmarus Rhemensis ingenii & eruditio[n]is doti[us] bus abunde cumulatis, & præterea Caroli Regis cognomine Calvi gratia & favore subnixus, in tantum superbia fastigium proiectus fuit, ut suis voluntibus non solum quemquam obstire non sufficeret, sed quanta valebat potestate, crudeliter in quoque sibi obstantibus ulcisceretur. Hoc insti[n]tu Rhotadum Suectionum Episcopum Suffraganeum suum optimum senem, eo quod Sacerdotem Suectionensis Ecclesiæ moribus disfolutum, & in stupro deprehensum Sacerdotio abdicasset, convocata Synodo Sylvanensem anno 863, cui ipse Hincmarus presidebat, quamque Hincmaro suo[ro], & perversi illius Sacerdotis, quem Rhotadus justa depositionis sententia perculerat, amico & patrono, Rex ipse Carolus celebrari iusserat, Rhotadum ipsum perverso Coepiscoporum iudicio & Hincmari & Regis offendam metuientium, Episcopatu depositu, & degradatum in Monasterium retrusus, quamvis ad Romanum Pontificem appellasset, eaque appellatione debuisset suspendi a deo nefaria sententia. Quia etiam alium protinus in Rhotadi fedem intruit Episcopum. De his omnibus admonitus Nicolaus Papa, iudicium omne ad se evocavit, mandavitque ut interim libertas Rhotado afficeretur, & utraque pars iudicio Apostolico se fisteret. Nil hil tamen Hincmarus aut ejus Pseudosynodus eorum, quæ jubebat Pontifex, exequi dignati sunt; sed pro omni excusatione afferverant, Rhotadi appellationem Imperatoris Caroli scilicet Calvi sancti[n]ionibus esse adversariam: ipsumque Carolum cum Summo Pontifice adverbari committee non sunt veriti Praefules indignissimi. Post multas demum tergiversationes Rhotado permisum est Romanam proficiere; sed ejus condemnatores iustum vadimonium nullatenus obiverant, nec quisquam eorum Romam ad dicendam causam comparuit. Tandemque Nicolaus in Romano anni 865, Concilio Rhotadum, rescissis omnibus editis contra ipsum decretis in suam restituit Ecclesiæ: pœnamque excommunicationis quibuscumque refractarii intentavit. Extant Nicolai Epistola, una ad Carolum Regem, qua rogat ut Rhotado faveat suam Ecclesiæ refumenti, ac nisi pareat, æque ipsi excommunicationem ministratur: alii rursus litteris Hincmarum Rhemensem Rhotadi persecutorem acerbinis objurgationibus coartuit. Scriptit & gratulatoriam ad Suectionensem Ecclesiæ, quæ amantissimum erat recepta Patrem. Rhemensis vero Hincmarus iudicio tandem Nicolai acquiravit, seque apud Nicolaum prolixa & apologetica epistola excusat, quam referat integrum Flodoardus lib. 3. histor. Rhenensis cap. 13.

2. Vix ullum ab Apostolorum tempore ad nostrum usque facultum immanitatis, infensique animi unius Catholicorum Episcopi, adversus alterum pariter Catholicum exemplum reperi in toto Ecclesiastica historiæ decursu quis possit tyrrannidi par, quam Rhemensi Hincmarus erga proprium nepotem Laudunensem Hincmarum exercuit: Episcopus in Episcopum, patruis in nepotem, injusus in innocentem, refractarius adversus Apostolicam fedem, in eum a quo illa reclamabatur. Hincmarus junior Laudunensis Episcopus cum videret patrum Rhemensem Archiepiscopum omnis impatientem subjectionis, jura Sedis Apostolice minuere & convelle contaret, scripta collegerat, quibus eadem rōbore studibat. Idem quoque Laudunensis pro litteris Apostolicis agens, contentum præbere noluerat excommunicationi, quam Rhemensi in Carlomanum promulgaverat Caroli Regis filium in prejudicium Sedis Apostolice, quam Carlomanus appellaverat, quæque hujus causa iudicium a se evocarat. Infensum etiam Laudunensi Carolum Regem Rhemensis fecerat, eo quod Rhemensi Normannum quendam excommunicasset, ideo quia bona Ecclesiastica in beneficium a Carolo accepta restituere recusaret Ecclesiæ. Et sane Carolus hanc sibi solitus erat licentiam vendicare, facultates Ecclesiæ in laicos transferendi, ut tibi conquetur Meldense Concilium superius adducatur. Accusabatur præterea Laudunensis scripsisse ad supremum Pontificem contra præstitum Regi juramentum, de crebra Ecclesiæ Cabassutii, Notitiae Ecclesiasticae.

rum expoliatione, sub obtentu Regia auctoritatis. Itiū modi accusationes & querelas accusator simul & judex Rhemensis in nepotem struxit primum in Concilio apud Vermeriam in agro Suectionensi anno 869, sed Laudunensis factionem cernens, quam adversum se vindicta Regis, & patrii moliebatur, eorum utpote iure sibi suffectorum judicium prævenit, sedem Apostolicam appellans, & admonitus eorum, quæ gerebantur, Hadrianus Papa secundus, mandavit illam ad se deferri accusationem, & vadimonium partibus indixit: sed illi neque obtemperavit Rhemensis, neque obtemperare valuit Laudunensis a patruo detentus.

3. Secundum deinde subsequtum est aduersus Hincmarum Laudunensem Concilium apud Attiniacum Diocesis Rhemensis, præsente Carolo Rege anno 870. Praefuerunt Archiepiscopi tres cum suis comprovincialibus, aliisque selectis Episcopis: tres, qui praefuerunt Archiepiscopi, sunt Remigius Lugdensis, Ardoicus Venetensis, & Bertulfus Trevirensis, coram hoc cœtu Rhemensis suas adversus Laudunensem, nepotem, tum proprio, tum Regis, qui aderat, nomine, instauravit accusationes. Sed nulla in toto Regno spes Laudunensi affligebat obtinendi juris sui, accusantibus tanto vindicta atque odio astu & Rege, & potentissimo callidissimo queque totius Regni aulico, quibus nullus displicere impone poterat, vel audebat. Insiit gitor Laudunensis, ut sibi licet Romanum pro defensione profici; mandante prefertum Summo Pontifice. Sed vere latrocinias illa Synodus nihil iura, nihil justam defensionem, nihil Romanam provocationem, nihil Zacharias Pontificis citationis dictum penſi habens, Laudunensem suo dejectum Episcopatu in tetrum carcere conjici mandat, ferreis onuscat catenis. Expostulatio Laudunensis Hincmar, quam Joanni Papa octavo in Concilio Trecenti oblitus, meminit secundum quadam exemplaria facta hæc fuisse statim a Concilio Attiniacenſi, ut Baronius & Binius obseruant; secundum autem alia quadam exemplaria, ad Duziacense Concilium referuntur.

4. Tertius dumum inita est Synodus apud Duziacum Campanie Gallicana vicum (vulgo Duzi) Rhemensis Diocesis anno 871, hic perdurante Rhemensi, & Caroli Regis implacabilis vindicta, & utroque fortiter accusante, invitis quidem si ipsi tutum ac liberum fuissent, sed gravi formidine adducti condemnatoribus, iterata sunt præfina infelici rei damnationes. Et quamvis Laudunensis suspectos sibi judices constanter recularet, tñque iudicium extra duorum infensissimorum & præpotentissimorum accusatorum ditionem ex aequo fieri postularet, atque in sua præfina ad summum Pontificem, qui dudum istam criminis causam suam ad tribunal evocarat, appellatione persisteret, ipso præsente atque urgente Carolo Rege Laudunensis iterum damnatus & Episcopatus gradu ejectus est.

5. Defuncto Hadriano secundo Pontifice (cujus ultimo fore anno Synodus in Gallia Duziacensis habita est) datus successor fuit Joannes octavus prædecessori suo longe dissimilis. Cum enim Hadriani ab omnibus Scriptoribus laudetur invita in rebus justis animi constantia, ex adverso tum a Baronio, tum ab aliis gravibus Scriptoribus insimulatur Joannes profutior facilitatis in obsequendo injusus potentiorum postulatis ex nimia formidine, & ut ait Baronus, prudentia carnis, ob quam exsistimat occasionem fabula de Joanna Papissa, quam inanes aliqui Scriptores in hec tempora intrerunt, præbuſſe. Hic mortuo sine liberis Ludovico secundo Imperatore, cum successio Imperii ejus fratri Germania Regi alteri Ludovico, non vero patruo Carolo deberetur, Carolum nihilominus in Augustum coronavit. Sed plus a Carolo potentiore quam a Ludovico Joannes & formidabat & sperabat. Simili postmodum facilitated Basilio Græcorum Imperatori statim ab Ignatii Patriarche obitu per Legatos petenti, ut Photium mortalium deterrimum, olim Ignatii viri sanctissimi persecutorem atrocissimum, sedique illius invasorem, Romanam Ecclesiæ perpetuo infensum, & schismatum, quem sancti prædecessores Pontifices Nicolaus, & Hadrianus secundus, anathemati subjecerant, quicque ipso excommunicare presumperat; & quem iste idem Joannes, cum esset Romana Ecclesiæ Archidiacus, cum ipsis Pontificibus publico exhibito jurejurando nunquam esse recipiendum se obstrinxerat; nulla præterea per Photium exhibita pœnitentia tantorum excessum vel levi significatione, confessit tamen ut sacrilegus ille in Patriarchatum Constantinopolitanum promoveret: addita etiam in omnes Photio communice re renuentes excommunicationis pœna. Quæ verisimilis causa est, cur Anastasius, qui octava œcuménica Synodo Constantinopoli interfuerat, eandemque in Latinum transulerat, qua Photius sacrilegus & invasor dicitur